

Christian Woldenberg Nikolaus Klüver

Disputatio Iuridica De Acquirendo Rerum Dominio Naturali & Civili

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732608082>

Druck Freier  Zugang



Erweit von naturl. und
Anatomischen Eigenheiten

Chr. Woldenberg (N. Cluvier) 76

R. U. im 1656.

DISPUTATIO JURIDICA 89
De
ACQUIRENDO
RERUM DOMINIO
NATURALI & CIVILI

Quam

Permissu Nobilissimæ Facultatis' Juri-
dicæ in Alma Rosarum Academia

PRÆSIDE

Clarissimo & Excellentissimo

DN. CHRISTIANO WOLDEN-
BERGIO, Crempâ-Holsato Ph. & J. U. D. Præ-
ceptore & fautore multis nominibus
observando.

Ad diem 28. Junii in Auditorio Magno Publico
eruditorum Examine exhibet

NICOLAUS CLUVERUS,
Crempâ Holsatus.



ROSTOCHII,

Typis Heredum **NICOLAI KILII**, Acad. Typ.
Anno 1656.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

περὶ οὐμῶν seu Introductio ad
Materiam.



Um totum jus consistat, aut in ad-
quirendo, aut in conservando, aut in minu-
endo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum
quid cuiusque fiat, aut quemadmodum quis
rem, vel jus suum conservet, aut quomodo
alienet, vel amittat. *L. fin. D. de LL.* Proinde
operæpretium mihi facturus videor, si
antiquissimam & utilissimam hanc vivendi &
acquirendi viam, à primis principiis reperam, & quomodo Leges
nostræ Civiles ex Politicis principiis hanc sibi vindicant, eviden-
ter demonstrarem.

Prima domus pars est homo, omnium animalium optimum,
quatenus rationi & legibus paret; pessimum verò, cum distortà
pravitate à seipso discesserit, *Aristot. 1. Polit. 2.* qui Oeconomix (quam
seneca Epist. 47. pusillam vocat Rempubicam) quæ domum consti-
tuit, Coniuge, Liberis, & Servis, summâ ratione præest. Secunda
domus pars est κτήσις. h. e. rerum possessio, seu rerum necessariorum
parandarum ratio, sine quibus domus esse non potest. Nam sine re-
bus ad victum necessariis, neque vivere, neque bene vivere fas est. *Ari-
stot. 1. Polit. c. 4. & 1. Oecon. c. 5.* Hinc definitur ab eodem *Aristotele*
πληθὺς ὀργάνων. i. e. multitudo instrumentorum, ex quibus vita
Politica instituitur. Ut enim servus ὑπερέτης τῶν πρὸς τὴν προῆξιν
ὄργανον προκατὸν est: Ita possessio est instructissima copia ὀργάνων
πονητικῶν, quibus vita humana carere usus & necessitatis gratiâ
non potest.

Vita autem licet προῆξις, ὅυ μίσησις sit; tamen indigentia re-
rum necessariorum cum labore, nec ex sese sufficiat, ὄργανα hæc
suppeditari pro eâ conservandâ requiritur. Est enim κτήμα, quo
res

res mobiles, & sese moventes intelligit Aristoteles tantum pars
 κίνησις, hoc est omnium rerum quæ acquiruntur, & possidentur,
 ut patet ex 1. Polit. c. 4. ubi vide Camerar. P. Victorium, Borrhaum, Scher-
 bium, Giphanium, Piccartum, Felicem Accorambonium in mente Aristo-
 telis Romæ editum, Joachimum Stephani in Demonstrationibus Politicis c.
 10. p. 189. & 190. haud secus uti instructum instrumentum plenius,
 vel hujus pars est. Κίνησις autem fit duobus modis: **Acquisitio-
 ne & Successione**, in quibus leges hoc servare præcipiunt, ut
 pro Naturæ æterno dictamine, unicuique quod suum est attribuat,ur,
 ne rerum utilium comparatione honestas lædatur, cum utilitas quæ
 multiplex est, facile ab honestatis consortio abscedat, quo discessu
 naturæ fundamenta pervertuntur. Ne igitur τὰ συμφέροντα καὶ
 χεῖρομα, quæ bona sunt naturæ hominis, & victum cultumque cor-
 pori præstant, injusto modo acquirantur: Legislatores ad normam
 honestatis possessionum adeptionem ita alligarunt, ut nihil in domi-
 nio, possessione & usu esset homini, quod non ipsa **JUSTITIA**,
 ceu jugi lance æquissimâ distribuisset, ac juris manu regiâ tradidisset.
 Sunt autem hæc χεῖρομα κάρπια Aristoteli in Politicis, quæ
 fructum, usum & commodum afferunt, quorum genus est πᾶσι, quod
 tam res mobiles, quàm immobiles continet, ut agros, villas,
 pecuniam, suppellectilem. Idque ideo, ut secura sit horum possessio,
 & usus, ac vindicationis & invasionis periculo adempto, quisque
 re suâ commodè utatur, ut sit terminus securitatis in possessione
 constitutus. Non solum autem de possessionis, sed & alienationis jure
 prospicere voluerunt, quo fieret ἀπολλοτριωσις ἀπὸ πᾶσιν καὶ δόσιν,
 h. e. alienatio justa per venditionem & traditionem, & ita sine omni
 vitio hæc acquirerentur & distraherentur, teste Aristotele, quem Gro-
 zius in lib. 2. de J. B. ac P. c. 12. in not. ad §. 2. optimè allegat. Et si autem
 natura κενωτικῶν omnium rerum utilium in primævo statu permisit,
 Gen. 1. v. 29. 30. & c. 9. v. 2. ut in eâ nihil, ut suum quisque vindicare
 potuerit; (Erant enim omnia, Justino referente lib. 43. communia, &
 indivisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium esset. Neg. is status
 durare non potuit, si aut magnâ quâdam simplicitate persistissent homines,
 aut vixissent inter se mutuâ quâdam eximiâ caritate. Quorum exempla
 videre licet, in quibusdam Americæ populis, qui per secula multa sine in-
 commodo

commodo in eo more perseverarunt: Item Esseni olim, à quibus orti Pythagorista, deinde Christiani, qui Hierosolymis primi extiterunt, ac nunc nostris temporibus, qui vitam degunt asceticam, suo exemplo hanc vivendi rationem comprobaverunt. Simpliciter autem in qua primi homines, typi humani generis sunt conditi, argumentum præbuit nuditas. Quæ autem inter homines primum fuit mali nescia, & adhuc astutiæ inexperta simplicitas, Hebræo sapienti dicitur Sap. 3. v. 24. ἀφροσύνα. Paul. ad Ephes. 6. v. 24. qui & ἀδιαφροσύνη dixit Tit. 2. v. 17. Dicitur etiam ἀπαλοῦτης 2. Corinb. 11. v. 3. quam opponit τῇ πανουργίᾳ i. e. vafra calliditati) tamen cum jus Gentium ipsam vivam honestatis effigiem, necessitatis colore depinxerit in humanam societate, ea quæ natura publica quidem fecit, in privatorum potestatem redegit, cum homines immani cupiditate habendi desiderium vix explere possent. Quocirca suum cuique attribui voluerunt, quod οἰκείον est Philosophis, aut τὸ ὀφειλόμενον potius, ut Theophilo Institutionum paraphrastæ Græco placet, quod est finis justitiæ. Ut autem ars imitatur naturam, eamque multum juvat: Ita Lex, quæ ars est boni, naturæ vestigia monstrat, & defectus hujus supplet, si laborarit, ut quæ de rebus naturalibus, dicantur, eadem & in jure consistentibus comperant. Est enim consensus Gentium Lex naturæ quædam putanda, ut Cicero ait, eo quod ex communi ratione, notioneq; mentis proficiscatur, & quod ratione naturali inter omnes peræque fervetur. §. 1. J. de J. N. G. & C. L. 1. D. de Acq. rer. Domin. Cum autem initio rerum, nascente mundo omnia fuerint communia, secundum Virgilium:

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni

Nec signare quidem, aut partiiri limite campum

Fas erat, uti superius adumbravimus quod & ex Accursio in §. 1. J. de R. D. evinci potest: Gentium Jure Dominia distincta fuerunt, teste Herimogeniano in L. 5. D. de J. & J. dicique captum est MEUM HOC, ILLUD TUUM, quæ duo provocabula bellorum ac litium seminaria sunt. Hinc Draconis primi Atheniensium Legislatoris prima Lex originem traxit: Τὴ ἀλλοτρίᾳ ἀφίστασθαι: i. e. ABSTINERANTO ALIENO. Huc omne ferè jus Civile pertinet, tenditve, variis articulis, tractatibusque in eam rem editis. Quo in genere Juri divino proximè accedit, & ferè cognatum est. Exod. 22.

vide Dicoelogiam Pardulphi Pratei c. 1. per tot. Hoc igitur dominium
 ipsa forma est τῆς κτήσεως seu rerum possidendarum à lege, non
 natura indita, quæ proprietatem justis modis hominibus addicit.
 Non autem omnium rerum naturalium dominium assignavit, sed
 earum, quæ ἀπολλωτέωσι in se recipiunt, ut Aristoteles vocat, ac
 alienari ac distrahi pleno Jure possunt. Ideo & in patrimonio, & in
 bonis nostris hæc esse dicuntur, quod necessitatis ratione ab uno in
 solidum possideantur. Illa Græci τὰ κινὰ appellarunt, in quibus ap-
 prehendi facultas nulla permixta est, Latini verò Philosophi, acie
 mentis perspicaciorè naturam harum rerum intuentes, communes
 à publicis discrevère, quibus & res sacras, quæ Aristoteli ἀναθήματα,
 imò τὰ ἅμια dicuntur, annumeravère. Cum itaq; res primò acqvi-
 rendæ sint patrifamilias propter domum constituendam: κινωνίαν
 seu communionem rerum Justitiæ regulâ mensurari pia vetustas vo-
 luit, ut facultatum acquisitio honestâ ratione fieret. Est enim,
 ut Solon ait apud Plutarchum, ea optima domus, ubi res neq; injuste
 parta, neq; in eâ vel conservandâ, vel insumendâ pænitentia est lo-
 cus, quod tum fieri creditur, si ea, quæ in commercio humano po-
 sita sunt, Naturæ & Justitiæ lege accipiantur. De quâ acquisitione &
 NATURALI S. GENTIUM & CIVILI in thesibus plura jam
 proponemus, hæc in antecessum præfari placuit. Notum enim est,
 quod præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ
 producant: & cum ibi venerimus, evidentiorè præstant intelle-
 ctum, L. 1. in fin. D. de O. 3.

Oeconomia tituli 1. Lib. 41. Digestorum

Quarundam rerum dominium nanciscimur Jure Gentium, quod ra-
 tione naturali inter omnes homines peræq; observatur: quarundam
 Jure Civili. i. e. Jure proprio Civitatis. Et quia antiquius est Jus
 Gentium, quod cum ipso genere humano proditum est, opus est
 ut de hoc prius referendum sit. L. 1. §. 1. pr. D. h. t. Primus autem de
 Jure Naturali seu Gentium acquirendi modus est Occupatio, de
 quâ agitur in d. L. 1. §. 1. & l. 2, 3, 4, 5, cum septem §§: l. 6. & pr. 7, l. 14,
 15, l. 30, §. 4. l. 44, 50, 51, 55, 58. Secundus modus est Accessio,
 quæ vel est Naturalis, vel Artificialis. Naturalis contingit per fæ-
 turam animalium, Item per Alluvionem, cui similis est Insulæ

ἀνά-

avāQavovis, de quibus duobus posterioribus agitur. L. 7. §. 1. *enno*
 5. *seqq.* L. 12. *pr.* L. 16. 29. 30. *usq.* ad §. 4. L. 38. L. 56. L. 65. §. 1. & *seqq.*
 De Artificiali agitur in L. 7. §. 10. & *seqq.* L. 8. L. 9. §. 1. 2. L. 26. L.
 28. L. 60. D. h. t. Tertius modus Specificatio, de qua tractant.
 L. 7. §. 7. L. 12. §. 1. L. 24. 25. 26. 27. Quartus & Quintus modus
 Confusio & Commixtio, *dicta* L. 7. §. 8. & 9. Sextus. Fru-
 ctuum perceptio. L. 40. L. 48. §. 1. & 2. L. 66. D. h. t. Septimus
 modus est, Traditio de qua vide. L. 9. §. 3. 4. 5. 6. 7. L. 13. *Ed. 7.* L. 20
 §. 1. 2. L. 31. *pr.* L. 35. 36. 46. 59. 65. *pr.* D. h. t.

Jure Civili acquirimus per nosmetipsos, liberos homines, &
 quos in potestate habemus servos. De quibus plenae sunt. L. 10. 11.
 12. §. 1. *L. 18.* L. 19. L. 21. 22. 23. 32. 33. 34. 37. 39. 40. 43. *in pr.* & §. 2. L. 45. L. 47. L.
 49. *in fin.* L. §. 3. 5. 4. 57. 61. 63. §. 1. D. h. t. Res quae non acquiruntur *vide in*
 L. 41. L. 62. ubi & dicitur, quod quaedam quae non sola possunt acquiri,
 per universitatem transeant & L. 64. h. t. Res quae in bonis nostris ha-
 bere intelligimur. L. 52. D. h. t. Extra bona habetur substitutio, quae non-
 dum competit. L. 42. D. h. t.

THESIS I.

Quoniam de acquirendo rerum Dominio disputaturi sumus,
 merito rerum omnium divisionem *ex tit. 8. libri 1.*
Digestorum, & tit. 1. lib. 2. J. propter materiae vicinita-
 tem, praemittimus, quae apparet ex collatione l. 2. D. de
Divis. rer. cum L. 1. D. de acquir. rer. Domin. & similibus.

2. Jure Civili atq; Legibus non solum rebus paternis bene-
 uti discimus, ceu *Philostatus in Apollonio Naucratisite refert*, ut sic inter
 bonos optime agamus, sed etiam res nostri Juri obnoxias legitimis
 modis acquirere. Quoniam vero difficile est rem persequi, nisi co-
 gnita ejus natura, utpote nostro dominio poterit ne subijci, ob id
 merito ad Rerum Divisionem, earumq; qualitates descendimus.
 Quippe haec divisio animum legentis invitat: mentem intelligentis
 praeparat: memoriam artificiose reformat. *G. l. 1. in §. 4. proe: J.*
§. 3 J. de Legat. l. 1. in fin. D. de Dol. mal. & met. except. l. 86. §. 1. D.
de Leg. 2.

3. Sum-

3. Summa autem Rerum divisio, autore Gajo inl. 1. D. de R. D. in duos articulos deducitur. Nam aliæ rerum sunt divini Juris, quales sunt: Res publicè consecrata, ut sacra loca. Item res sanctæ, ut mari, portæ, & id genus religiosa, & proinde in nullius bonis d. 1. 1. pr. & §. 7, 8. 9. 10. J. de R. D. l. 6. §. 1. 2. 3. 4. 5. 1. 7. 1. 8. 1. 11. D. de R. D. Aliæ vero dicuntur Juris humani, quarum aliquæ sunt communes seu Universitatis, ut Theatra, pomœria: aliquæ privatæ, quæ singulorum sunt, & ejus naturæ quod ex omni tantum rerum genere, nostro juri subjici poterunt.

4. Rursus privatarum rerum, quas tantum acquirimus, quædam sunt corporales, & suâ naturâ tangibiles, secundum versum Lucretii: Tangere vel tangi, nisi corpus, nulla potest res, Græci dicunt σῶμα & ἄσῶματον. Grot. in flor. spars. ad tit. 2. lib. 2. J. putâ fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & id genus innumera sensibus corporeis exposita: Quædam incorporales, quæ tangi quidem non possunt, sed in jure consistunt, & mente duntaxat atq; intellectu percipiuntur, quasi λόγῳ θεωρητῶς, cujusmodi sunt hereditas, Ususfructus, Actiones, Obligationes, quoquo modo contractæ, Tutela, servitutes, & in univèrsum omnia in corpore non consistentia l. 1. §. 1. D. de Rer. Divis: quarum singulas partes in præsentiarum tractare prætermitto, eo quod non ex professo in titulo nostro perstringantur. Observandum tamen quid inter publicum & commune intersit. Publicum dicitur, quod J. G. ad publicum usum, secundum dominia distincta, pertinet: Commune vero quod Jure naturali omnibus peræq; exponitur. In h. t. tamen d. R. D. promiscuè alterum pro altero usurpatur, quod etiam apparet, ex l. 15. & 17. D. de V. S. Sed non est usq; quæq; verum corporales res esse, quæ sui naturâ tangi possunt, quod Cicero minus accuratè in Topicis intendit, unde σῶμα solum vocavit ὄν: Nam secundum Lucretium sunt corpora quædam cæca, quæ nec tanguntur, nec videntur; aliâ vero aperta, quæ oculis subjiuntur. Docent hæc ejus verba lib. 1. de Rer. naturâ. Sunt venti corpora cæca, Quandoquidem factis ac motibus æmula magnis Annibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt. Item rerum incorporalium aliæ subsistunt per se, ut anima rationalis, ut Angelus; aliæ sunt veluti qualitates & accidentia rerum.

alia-

aliarum, quæ per se non existunt, sed in abstracto considerantur, ac mente duntaxat intelliguntur, ut sunt vitia & virtutes. Nam ipse Seneca, utcumq; Stoicus Philosophus *epist. 114.* Stoicorum expofit sententiam arbitantium, virtutes esse animalia. Ejusmodi quoq; sunt superiora à nobis commemorata Juris nomina.

5. Jam ad Dominium, ejusq; acqvirendi modos nos accingimus. In antecessum de Domini notatione, Definitione & Divisione quædam connotanda sunt, ut eò melius acqvirendi modos perspiciamus. Dicitur autem Dominium à domo, ut & Dominus, quasi jus sit in domo i. e. in patrimonio nostro: quod nimirum olim domesticis finibus cujusq; dominium circumscribatur *L. 195. D. de V. S.* sive quod propria & nostra usitate à domo appellentur domestica, ut & apud Græcos *οικεία*, Theoph. habet *οικειανή. S. 2. J. de Hered. qual. & differ.*

6. Etymologiam excipit justo ordine definitio, quæ τὸ πῶν εἶναι, & quidditatem rei ob oculos ponit: Est autem Dominium jus de re quæpiam corporea liberè disponendi, aut vindicandi, nisi lex, conventioq; obsistat. jus dicitur, quo res nostra est. *Bart. in L. 17. n. 4. D. de Acqvir. Possess.* Definitio ab effectu desumpta est, secundum Johannem Apellum in *Tyrociniis Juris p. 49.* Nam duo sunt effectus Domini, videlicet disponere & vindicare *L. 23. in pr. D. d. R. V.* Disponere enim optimè possumus, si rei copiam habemus, sin minus, vindicandi potestatem retinemus. Hic enim effectus domini proprius est, ut quis re suâ uti frui ad arbitrium possit. *L. 21. C. Mandat.* Dicitur etiam esse jus, quoniam Dominium in Jure, Possessio in facto est. *Vide Frid. Tilemann. in Disp. Pandect. 13. th. 6.* Possessionis verbum autem dubium est. Est enim & κατοχή (quam aliqui detentionem vocant) *L. 1. D. de Acqvir. vel amitt. possess. & νομή* quam proprie possessionem vocamus. Porro κατοχή ἀπὸ τῆς κατέχειν, quod meri est facti, dicitur: Νομή ἀπὸ τῆς νέμεσθαι, quod nonnihil ex jure trahere videtur. *Vid. Jacob. Curt. lib. 1. εἰσαγωγ. c. 11. adde Harmenopulum in promptuario Juris Civil. lib. 2. tit. 1. per totum.* ubi inscriptio est *περὶ τῆς νομῆς καὶ δεσποτείας* i. e. de Possessione & acqvirendo rerum Dominio. Jus disponendi ideo dicitur in de-

B

finitione

finitione, teste *Duareno lib. 1. in Disput. Annivers. c. 17.* quia licet pignus, vel hypotheca jus in rem sit, *L. 17. D. de Pignor.* quia tamen creditor disponere non potest de re pignoratâ, non recte Dominus appellatur. *L. pignus 9. C. de pignor. act.* Dicitur ulterius **Liberè seu plenè**, quoniam tametsi tutor & curator, aliæq; similes personæ, procuracionem habeant, & dispositionem alienarum rerum *L. 56. §. 4. D. de Furt.* plenam tamen & liberam non habent *L. 7. §. 3. D. pro emptor.* hoc enim Dominorum proprium est. Additur materia, de re **quæpiam corporeâ**, quod rerum incorporalium nullum proprie dominium sit. *L. 25. D. de V. S.* ut nec possessio *L. 43. §. 1. D. h. t.* nisi quædam juris interpretatione *L. 3. D. si ususfruct. petat. Vid. Vvesenbec. in paratit. ad h. t. n. 3.* Quamvis enim is; qui servitutem habet, de eâ pro arbitrio suo disponere non prohibeatur, Dominus tamen non est: cum traditio, quâ dominium acquiritur, in res incorporales non cadat *d. L. 43. §. 1. D. h. t.* Extrema definitionis verba, nisi **lex conventioq; obsistat**, propter eos Dominos adjecta sunt, quibus bonorum administratione lex interdicit, & alios hujusmodi. *L. 6. D. d. V. O. & tit. 8. §. 3. Quib. alien. non lic.* D. Philippus Melancton ita definire maluit: ut sit facultas, ordinata lege divina vel humanâ, quâ rem tenet Dominus & de eâ disponit suo arbitrio, nisi quantum lege aut pacto prohibetur. *adde Cantium. in paraph. lib. 2. §. p. 168.*

7. **Dominium dividitur in directum seu proprietatis** quod plerumq; simpliciter dominium appellatur. *L. 1. §. 1. L. 17. §. 1. D. de Acquir. vel amittenda possess.* & **utile seu Juris.** An recte? Expressum Juris textum, ubi ponatur, si postulas, dari non posse credimus: rationem haud prorsus à Jure alienam si admittis, eam *ex L. 8. in pr. D. de reb. autor. jud. possid.* elicimus, & dictam distinctionem docendi gratiâ, cum in Scholis, tum in foro, necessario retineri concludimus, *cum Corasio 6. Miscell. 20. Vult. 1. Discept. Scholast. 19.* Tilemannus in duas scindit partes, utilitatem rei, quam alii usumfructum dicunt, & proprietatem, & alteram incerta & incondita opinione collectam esse tradit. *ib. 4. Disp. 13. per L. 14. D. quib. mod. ususfr. amittat. l. 16. §. 1. D. de usu & habitat. L. 5. D. si ususfr. pet. L. 4. D. de ususfr. nostra divisio fundamentum habet in L. p. in fin. D. si ager veterig. vel Emphyt. pet. Vvesenbecius in paratit. ad h. t. n. 4.* inquit: Partes
Dominii

Dominiū sunt proprietas & possessio rei. L. 13. D. h. t. quæ concreta
 Dominium constituunt, separata nihil inter se habent commune L. 12.
 §. 1. D. de Acquir. vel amitt. possess. L. 52. d. t. L. 68. §. 4. D. de Leg. 2. Do-
 miniū species & si plures sint; tamen usitate ita dividimus ut aliud sit
 plenum & absolutum; aliud minus plenum Schurf. consil. 13. cent. e. per
 L. 3. §. 1. C. de secund. Nupt. atq; hoc aliud directum, aliud utile. Sed
 & alias in Jure inveniri Dominiū species, indicat *Alicatus in parergis,*
lib. 2. c. 15. Quoddam enim Dominium est $\chi\tau$ ἐλπίδα i. e. in spe, ut
 cum in L. in suis 11. D. de lib. & Posthum. filius familias rerum paterna-
 rum dominus vocatur, unde & sui heredes dicuntur, tanquam sibi
 ipsis succedant: erant enim vivente quoque patre quodammodo Do-
 mini. Aliud est Dominium, quod $\chi\tau$ ἀεληψιν i. e. per anticipatio-
 nem dicere possumus: ut cum mulier rei suæ in dotem traditæ Do-
 mina dicitur. L. 30. C. de Jur. Dot. Aliud est dominium quod vidua
 habet, quam maritus relictis liberis decedens, in testamento jussit
 esse dominam usufructuariam, administratricem (Dominium enim
 illud εἰκονικόν i. e. imaginarium est) eam solum in domo præmi-
 nentiam consecuta, quam vivente marito habebat: ideoque ad alimen-
 ta tantum contrahitur: est igitur & hoc dominium ἐξήματισμένον.
 Aliud est quod summum, seu majus dominium vocant: quædam
 scilicet Majestas, cujus observationem fæderati supremo Principi, vel
 Reipublicæ debent L. 7. D. de Captiv. & postlim. revers. Dominium
 item dividitur in Naturale, seu quod Jure Gentium acquiratur, & in
 id quod Jure Civili. Prius autem sine possessione acquiri non potest
 L. 1. §. 1. D. de acquir. vel amitt. possess. Harmenop. in prompt. Jur. Civil. tit.
 1. lib. 2. n. 1. 2. posterius potest maximè L. 64. in fin. D. de furt. L. 23. in
 pr. D. de acquir. vel amitt. possess. l. facta 63. D. ad sc. Trebell. L. 1. D. de bon.
 possess. §. 1. J. de acqvis. per arrog. & tit. proxime seq. §. 11. J. de R. D. L.
 20. D. de acq. rer. dom. Directum Dominium, quod est libera potestas,
 cum re suâ quod ipsi commodum videatur, citra alieni juris in eâ re
 obligationem, *Theoph.* Quiritarium dicitur: & Utile, quod est facultas
 rei, certâ legis potestate circumscriptâ, ut est emphyteosis, & jus uten-
 dorum bonorum feudaliū, *Theophilo* Bonitarium dicitur.

8. Dehinc ad acquirendi modos properamus, promissum solu-
 turti, secundum Paulum Jctum in L. 20. D. de Operis liberto. Acquirendi

itaq[ue] modos de Jure Naturali concessos, cum civilibus ἐν πλάτῃ con-
siderabimus, Aristotelem loco fundamenti præmittentes, ex quo Le-
ges Civiles suos modos, latius produxerunt. Politica enim ut anti-
quior Jurisprudentiâ: ita non verecundatur hæc ab illâ originem
multarum rerum mutuari.

9. Repetemus proinde ex Aristotele 1. Polit. c. 8. naturales vivendi
modos, qui ab ipsâ naturâ videntur omnibus tribui, ubi inquit:
Οἱ βίοι πᾶσι χρεδόν εἰσι, ὅσοι γε αὐτίφωτον ἔχουσιν τὴν ἐργασίαν,
καὶ μὴ δ' ἀλλαγῆς καὶ καπηλείας περὶ ζῶντα τὴν τροφήν. 1. NO-
ΜΑΔΙΚΟΣ. 2. ΓΕΩΡΓΙΚΟΣ. 3. ΔΗΣΥΡΙΚΟΣ. 4.
ἈΛΙΕΥΤΙΚΟΣ. 5. ΘΗΡΕΥΤΙΚΟΣ. i. e. Vivendi genera,
quæ quidem operâ nativâ constant, & non permutatione, aut cauponati-
one victum suppeditant, hæc fere sunt: 1. Vita Pastoricia, seu
pascendi ratio. 2. Agricultura. 3. Prædandi ratio, s.
Piratica. 4. Piscatus s. piscatoria: 5. Venatio. Cum
itaq[ue] prima hominis cura sit, ut alimentum acquirat, secundum Aristo-
telem, quod enim genitum est, naturæ egentis necessitate ad se alen-
dum & quærendum victum impellitur, unde alimentorum varia ge-
nera constituta sunt ab hominibus, ut rerum communitas fieri pos-
set indigentia gratiâ. Cum autem homo in hanc terram cultura, &
possessionis gratiâ constitutus sit, maxima hominum pars, licet ex
terra vivat, aëri tamen & mari hos dominari permisit divina Majestas,
ut vitæ degendæ tam necessitatis, quàm voluptatis esset optima ra-
tio. De Agriculturæ dignitate vide Aristot. 1. Oecon. 2. Modus acqui-
rendi ληστεικός vocatur etiam πολεμικός, Platoni λείπτικος, ἀγρω-
νιστικός & χειρωπικός. Pergit Aristoteles in d. c. inquit: Existiman-
dum est animalium causâ stirpes & plantas, esse natas, & homi-
num gratiâ cætera animalia. Quæ verba optimè concordant
cum Gen. c. 1. vers. 28, 29, 30, 31. Bestiæ inserviunt homini καὶ λέγει τὴν
χρησίν, καὶ λέγει τὴν τροφήν. i. e. ad usum & victum. Ultimo à di-
vinâ providentiâ argumentatur, hominis causâ omnia procreata esse:
Ἡ φύσις μηδὲν μήτε ἀπλὲς ποιῆι, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀν-
θρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιημέναι τὴν φύσιν. Memorabilis in
prophano Philosopho locus. Sed planius sacrae literæ dicunt, Deum
cuncta

cuncta contemplatum esse quæ fabricasset, & apparuisse valde bonis, quod est hic, sine causâ nihil fabricatam esse naturam.

10. Hos acquirendi modos à Philosopho acceptos, Latini Juris consulti latius explicarunt. Cum enim Natura communis parens nos genuerit, & in hanc stationem, ut necessitatis munere fungeremur, nos collocarit, quædam mortalibus in Dominium concessit; quædam verò Jure Domini sibi reservavit, quæ nec possessionis impetu, nec invasionis vi in proprietatem cogi possint, sed pari jure ad omnes spectare voluerit. Hoc naturæ patrimonium omnibus relictum est, ut libertatis jure à quolibet occupante teneatur, ob quod continendi, occupandi difficultatem his attribuit, ut propter inconstantem & fugacem statum penitus possideri non possint, qualia sunt hæc, quæ maximè aère & mari continentur, ut quoc; feræ sylvestres. Sunt autem ea, quæ acquisita sunt, in proprietate singulorum, sed non potestate, ut Seneca ait de Beneficiis. Jure Civili quamvis omnia sint regis, nihilominus tamen in singulos Dominos proprietates descripta est, ut unaquæq; res habeat possessorem suum.

11. Primus proinde acquirendi modus apud Latinos nostros ICtos est occupatio ferarum, bestiarum, & volucrum, quæ in medio positæ, nullius privati bonis insunt. Eum autem Aristoteles vocat *θηρευτικόν*, cum in feris, bestiis, volucribus, ea occupatio omnibus constituta sit, ut donec in laxitatem naturalem redeant, nostra esse dicantur. Est autem τὸ *θηρευτικόν* naturâ in bestiis concessum; cum non sint feræ pars fundi, sed propter ferocitatem frugibus nascentis potius noceant ac fundo, quas ex feritate magis, quam animalis genere intelligendas esse censet *Ulpianus*. Habent enim ingenitum τὸ *θερμάδες*, τὸ πίνειν αἷμα ἀνθρώπων καὶ ἰσθμίων ὡμα κρέατα, h. e. ut sanguinem humanum bibant, & carnem devorent, ut *Euthatius* ait. Ideo & *ζώφαρα καὶ σπερδίνια ζῶα*, s. solivaga animalia in politicis vocantur, quod immanitate feritatis solitudine delectentur. Hæ igitur feræ & bestię (bestię enim licet & feritatem habeant innatam, tamen arte & consuetudine cicurari possunt, quæ τὰ πεθαῶτα vocantur, quod facultatem habeant innatam recipiendæ consuetudinis, ἀγελαῖα in politicis dicuntur) nec cicures, aut mansuetæ, nec mansuefactæ, quæcunque tandem illæ sint,

sunt, seu nantes, seu volucres, vel serpentes, vel gradientes, Cic, *Tusc. quæst. V.* simul atque in alicujus hominis manum ac potestatem pervenerint, Jure Gentium statim fiunt capientis, *l. 1. in fin d. h. t.* Id enim ratio naturalis, quæ est Juris illius Gentium primarii f. antiqui, ut *Cantiuncula in paraph. lib. 2. 1. vocat. firmamentum*, ultrò concedit, ut quicquid vel natura ipsa vel hominis voluntate factò declarata, vel temporis diuturnitate nullius in bonis est, occupanti concedatur *L. 3. in pr. D. h. t. §. Feræ. 12. cum §§. seqq. usque ad 20. 1. de R. D.*

12. Hujus occupationis rursus quinque colliguntur species, ut pote **Venatio, Aucupium, Piscatio, Captivitas, Inventio.**

13. Plane si animal alicujus sit, nec ferum sed mansuetum, occupanti illud non conceditur, sed si alius id capit furtum ejus committit. *L. 5. §. pen. D. h. t. §. 16. 1. d. R. D.* nec refert quod custodiam & persecutionem nostram evaserint *L. 44. D. de acq. rer. dom.* Deinde notum est quod feræ, aves vel pisces in alieno solo captæ, non cedant occupanti *§. 12. 1. de R. D. & L. 3. D. h. t.* Qui enim alienum fundum venandi aut aucupandi gratiâ ingreditur, potest à Domino fundi, si is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur. *d. §. 12. & d. l. 3. adde §. apum. 14. 1. h. t. & L. 5. §. 2. D. h. t. & L. 16. D. de serv. rustic. præd. ubi D. Pius aucupibus ita rescripsit, &κ, ἔστιν εὐλογον ἀκόντων τῶν δεσπότων ὑμῶν ἐν ἀλλοτρίοις χωρίοις ἕξουσιν* i. e. Non est consentaneum ut per aliena prædia, invitis dominis, aucupium faciatis addè *L. 55. de apro,* qui in laqueum venandi causâ positum incidere. Huc spectant *§. 13. 1. d. R. D. l. 5. §. 1. d. h. t.* Jure Langobardico fera ab aliquo vulnerata, illius manet per horas 24. interea si quis alius eam ceperit, tollit dextrum armum cum 7. costis. *lib. 1. tit. 22.* quoniam multa accidere solent, ut eam non capias, secundum proverbium. *πῶλλὰ μετὰ ξύπνῳ πῆλει κύλικος καὶ χέλιε & ἀκρὸς* Vid. *Grot. de I. B. ac P. lib. 2. c. 8. n. 3. & in flor. spars. ad t. i. 1. d. R. D. p. 36. 37.* ubi & Legem Langobardicam in apibus, quæ de arbore eximuntur allegat, hæc enim distingvit inter arborem signatam, & non signatam, ut ex hac eximere apes liceat, de illâ non liceat. Cæterum *Plinius lib. 8. c. 51. ait,* apes nec placidas esse, nec feras, sed mediæ naturæ. Pari loco habet lepores, hirundines, Delphinos.

14. Qvod

14. Quod Venationem in specie concernit, eam jure subditis ademptam esse statuimus. De jure quidem Divino, Naturali five Gentium & civili antiquo eam omnibus hominibus permissam fuisse, non negamus, *per Gen. c. 1. v. 26. 28. 30. Gen. c. 9. v. 2. Levit. 17. v. 13. L. 1. c. 3. D. h. t. c. d. §. 12. l. 1. d. R. D. Hoc* tamen Venationis jus à Principibus ex justis & urgentibus causis temporis successu jure ademptum est subditis. Nam Reipublicæ Gubernatio à Deo ita concredita, & commissa est Principibus, aliisque summis Magistratibus, ut gubernent eam cum præcipiendo, tum prohibendo, prout salus Reipub. & necessitas hoc exigit, Unde cum viderunt Principes, magno cum Reipub. detrimento conjunctum esse, imò cum interitu, & eversione ejusdem, venationis otio si promiscue indulgerent subditi, venationis jus eis interdixerunt. Aliàs causas allegat. *Vvesenb. in paratit. ad h. s. n. 7.* quæ dignæ sunt lectu. Quibus Fridericus Imperator commotus, jura venationum jure Civili communia, subditis ademit. *2 Feud. t. 27. §. si quis rusticus 4. vers. nemo retia.* Id quod postea consuetudine receptum, & longà subditorum patientia approbatum, vel ex hac ipsâ patientiâ Principes istiusmodi jura præscripserunt, ut facultatem sese opponendi, & de injuriâ quirirandi, amplius subditi non habeant. Imo de consuetudine universali inter regalia commemoratur, cum in investituris, quibus Regalia conceduntur, etiam venationis mentio fieri soleat, cum illâ clausulâ usitatâ, *mit Wâlden/ Wildbanen und Jagten vid. VVurmser. in Nucl. Jur. Controv. v. l. 2.* Circa hanc materiam ulterius quæri solet, An venantes contra edictum Principis pænâ mortis affici possint? Quod negamus cum *Vvesenbec in paratit. h. t. n. 7.* Optimates enim hoc jure uti decet, ut non Tyranni, non Actæones efferi, sed humanæ sortis memores, Christianæ pietatis observatores existant, nec contra mandata sua venantes, ferasque capièntes ultimo supplicio illicò afficiant. *argto L. 11. c. 13. D. de pæn.* Et quid multis? Pro captâ beluâ & sanguine ferino, hominem ad DEI imaginem creatum, morte plecti, iniquissimum esse, quis non vider. *Lindemannus in Disp. de acquir. rer. Dom. §. 15.* Quæ enim analogia inter cervum, hinnulum, capream & hominem? Nulla. Principum quoque est providere & curare, ne ferae in privatorum agros gregatim excurrant, & sata magno pauperum dolore depascantur, quare permittant subditis, ut diras feras, lu-
pos,

pos, urfos, serpentes, ex suis fructibus abigant, & latratores molofos habeant, quibus eas licitè fugent. Aut si secus fiat, ut damnum à feris datum, resarciant, æquitas svadet, & juris autoritas monet. §. cæterum 16. I. de L. Aquil. §. 1. I. si quadr. pauper. fec. dicat. l. 1. & generaliter. 7. D. eod. l. 13. in pr. D. Loc. cond. Gail. 7. Obs. 68. n. 10. De Clericorum Venatione prohibita vide. can. 2. Diff. 34. & 11. Extra de Cleric. venat.

15. Definitor autem Venatio jus seu facultas occupandarum ferarum terrestrium, in terrâ viventium, nullius in bonis existentium, omni jure permessa, vocatur aliàs usitatè venatio, saltuosa, & clamorosa. *Id. ad d. §. feræ. 12. l. d. R. D.*

16. Aucupium est captura bestiarum volatilium. §. 14. & 15. I. d. R. D. l. 1. §. fin. l. 5. §. 2. & 5. D. h. t.

17. Piscatio est captura bestiarum aquatilium, veluti piscium & cancrorum. L. 13. §. 7. D. de Injur. cæterum hæ duæ venationes, ex iis, quæ de venatione clamorosa diximus facile intelliguntur. Nam idem omnium jus est. L. 2. & 3. D. h. t. Aucupium vero non æque interdictum est privatis, atque venatio quia fit sine armis, neque cum tumultu: quanquam ne vastentur species, certis temporibus aucupia & piscationes à superioribus interdicti possunt. Piscatio quoque libera est, tam in suo, quàm in publico, non etiam in alieno, quia pisces cum aquâ privata contineantur & in eâ nascantur, in fructu aquæ sunt, & habentur *P. H. D. arr. 169. d. l. 13. in fin.* In fluminibus publicis. In den Wassern so Strömfrey stießen / libera est piscatio, secus in privatis da wiederwoege / See / Schleussen / Behege / lache / und der gleichen stelle bey Wasser und sonderlicher Fischfang ist. *Reyger. in thesaur: pract: p. 733.*

18. Deprædatio bellica, seu captivitas, est jus acquirendi dominium, cum personarum, tum rerum, quas in bello capimus §. 17. I. d. R. D. l. 5. §. fin. & l. 51. D. h. t. In bello, inquam, non quovis L. 21. §. fin. D. de captiv. & postlim. revers. sed justo. L. 24. D. d. t. L. 118. D. de. V. S. Hoc enim solum est legitimus modus acquirendi dominium, quia naturali ratione ad propulsandas injurias, & res ablatas recuperandas, inventum est. Hoc jure Abrahamus de spoliis, quæ à quinque Regibus acceperat, decimam DEO dedit, ut historiam quæ extat *Gen: 14.* explicat divi-

nus

nus scriptor *ad Hebr. 7 v. 4.* Quo more Græci quoque, Carthaginenses & Romani Diis suis, ut Apollini, Herculi, Jovi Feretrio decimam de prædâ sacraverunt. *adde Gen. 48. v. 22. Exod. 17. v. 14. Jos. 2. v. 2. 1 Sam. 23. v. 4. 2 Sam. 5. v. 19 Matth. 8. Deut. 20 v. 14. vid. Grot. I. B. ac. P. lib. 3. c. 6. n. 1.* Suffragatur nobis Aristoteles 1. *Polit. c. 6. quando dicit. Ὁ νόμος ὁμολογία πρὸς ἑἴη ὃ τὸ κτὴν πόλεμον κρατῆμενα τῶν κρατῶν τῶν ἑνὴν Φασι:* Lex velut pactum quoddam commune est, quo bello capta capientium fiunt. Placuit autem gentibus, ut cepissent rem is intelligatur, qui ita detinet, ut recuperandi spem probabilem alter amiserit, ut res persecutionem effugerit. *Grot. d. 1. c. n. 3* In tali bello si personæ capiuntur, licet liberæ, in servitutem tamen capientium rediguntur. *d. §. 17. §. pen. I. d. Jur. per. L. adeo quidem 7. in pr. d. tit. adde l. 5. & 19. D. de captiv. & postlim. revers. etiam Jure Divino Exod. 21. Levit. 25.* Quod tamen hanc limitationem recipit, ut si tale bellum inter Christianos sit, tum ab utrâque parte pro captivis lytrum solvatur: si verò inter Christianos & Turcas, Tartaros, aliasq; Cyclopias gentes, idem jus immutatum maneat. *Dd. ad d. §. 17.*

19. Res insuper in bello acquiruntur, sive alicujus sint, sive nullius. *L. 5. in fin. L. 51. §. 1. D. h. t. l. 36. D. de religiof.* Acris autem est disputatio, quibus in bello publico ac solenni res hostium tam mobiles quam immobiles acquirantur, ipsine populo, an singulis, qui de populo, aut in populo sunt? Valde hic variant Dd. quos allegatos vide *apud H. Grot. lib. 3. c. 6. n. 8. 9. & seqq.* Nos illorum sententiæ subscribimus, qui res immobiles occupatas fisco adjudicant *L. 20. D. de captiv. & postlim. revers. L. Lucius 11. D. de Evicti 1. Bart. in L. 28. D. de captiv. & postlim. revers.* Distinguunt etiam inter actus verè publicos belli, & inter actus privatos, qui fiunt occasione belli publici: per hos actus privatis res quaeritur primo ac directè: per illos actus populo. At res mobiles aut se moventes, aut in ministerio publico capiuntur, aut extra illud. Si extra ministerium publicum, fiunt singulorum capientium, quo spectat *L. 51. D. h. t. L. 12. D. de Captiv. & postlim.* Hoc genus prædæ Itali *Corrariam* vocant. At de his, quæ quis actu bellico capit alia est ratio. Ibi enim singuli Reipublicæ personam sustinent, ejusque vice funguntur, ac proinde per eas populus, si lex civilis aliud non statuat, ut possessionem, ita & Dominium nanciseitur, & id in quos vult transfert. Interim, meritorum etiam habita fuit

C

ratio,

ratio, Imperatori licebat ἐξαίρετον h. e.] præcipuum sibi accipere, quantum vellet, i. e. quantum æquum arbitraretur. Prædæ venditores dicebantur λαφύες πῶλαι. Λάφυρα autem apud Græcos erant publica, πῶλαι singulorum. Vocant autem πῶλαι ea, quæ durante eripiuntur hosti, λάφυρα, quæ post certamen. vide d. Grot. lib. 3. c. 6. n. 24. Vide Hunn. in Treut. Vol. 2. Diss. 20. th. 2. q. 11.

20. Inventio est rerum mobilium, quæ dum inveniuntur, nullius sunt, occupatio. L. 1. §. 1. D. de acquir. possess. Ea autem est rerum quæ vel nullius unquam fuerunt, ut sunt res in littore maris inventæ, quæ ejusdem cum mari sunt conditionis, velut lapilli, gemmæ, margaritæ. §. 18. J. d. R. D. & l. 3. D. de R. D. Quamvis huic acquisitioni naturali liberiori à terrarum Principibus plurimum sit detractum nostro seculo, quo se maris Dominos appellant, vestigialia navigantibus imponunt, in mari fines constituunt. It. C. de Navicul. lib. 2. c. un. quæ sint Reg. 2 Feud. t. 56. vel alicujus quidem fuerunt, sed esse desierunt, ut sunt res in vulgus projectæ, quæ missilia dicuntur. §. 46. J. de R. D. à mittendo, sunt enim variarum rerum donaria, quæ Imperatores, atq; olim Coss. liberalitatis gratiâ, atq; in perpetuum rei memoriam, populo colligenda spargere solebant. Ferrar. in J. p. m. 171. Item pro derelicto habitæ, thesaurus.

21. Pro derelicto habetur, quod Dominus eâ mente abjecit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoq; statim Dominus ejus rei esse desinit. §. 47. J. de R. D. In rebus autem pro derelicto habitis, non solum mens & animus, ad amitendam possessionem sufficit, sed & necesse est, ut ille animus pro derelicto habendi per evidentia signa, & factum hominis declaretur L. 17. §. 1. D. de Acquir. possess. L. 1. D. pro derelicto, L. possideri 3. §. 3. d. 1. Neq; res mobiles tantum pro derelicto fiunt, uti aliquis ex hac Justiniani descriptione arbitrari posses, sed etiam soli hærentes, & quæ immobiles habentur, ut si quis Dominum ita derelinquat aut agrum, ut in bonis suis amplius non sit, similiter pro derelicto erit. Nam iisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus acquiruntur. L. 35. & 153. D. de R. J. L. 3. D. pro derelicto. Præterea fieri potest, ut res immobilis etiam non derelicta, tamen neglecta, præscriptione acquiratur juxta authent. male fidei C. de Prescript. long. temp.

22. Unde

22. Unde plane diversum est in bonis naufragio perditis, & fluctibus in litus ejectis, aut in tempestate e nave, ejus levandæ causâ, ejectis, aut incendii causâ sub diem emissa. §. *fin. J. d. R. D. l. 9. §. fin. & l. 58. D. h. t. L. 8. D. ad L. Rhod. de jact.* Ea enim adeo non inveniendis fiunt, ut scienter retinens, furtum committat, & quadruplum intra annum, post in simplum judicium sustinere debeat, *Ulpianus & DD. in L. 43. §. 4. D. de furt. l. in eum 18. cum authent. navigia C. eod. L. 1. D. de Incend. ruina naufrag. L. 44. vers. idem ait. D. h. t. L. 21. §. 1. D. de acquir. vel amitt. possess.* imo novissimâ Friderici constitutione in d. *auth. navigia*, publicatione omnium bonorum multatur. Quorsum attinent ea, quæ in viam, aliove loco publico inventa sunt, nisi enim pro derelictis habeantur, absq; furti suspitione retineri non possunt; quare in hominum coronis nuntianda sunt, ut hinc qui invenit, restituere se paratum ostendat. *Bart. in d. l. falsus.* Et ne statim imponat, qui repetit, signa aliqua, atq; certa indicia demonstrare debet, quibus facile inducat rem suam fuisse. *L. 1. D. de serv. fugitiv. Ferrar. p. 173. in 3.* An autem bona naufragio ejecta confiscari poterunt, ut in nonnullis regnis est usu receptum? cui usui obstat *d. authent. navigia L. 2. D. ad L. Rhod. de jact.* imò eum planè sustulit *Car. V. in Constit. Crim. artic. 219. Vide Ferrar. ad t. J. i. lib. 2. p. 173. ubi hallucinatus est in can. libellorum qui nullibi extat.*

23. Thesaurus, (Græcè *θησαυρός*, Priscis Latinis Flavissa, exinde dictus, quasi *θησαυρός τῶ ἐξ ἀπορίας τῆς ἀπορίας*, in crastinum aut futurum ponere *Scal. de subtil. Exerc. 78*) etiam inter *ἀδέσμοις* numeratur. Est autem thesaurus, vetus quædam pecuniæ depositio, cujus memoria non extat, ut Dominum jam non habeat. *L. 31. §. 1. D. de Acquir. rer. dom.* Quæ definitio non solum de pecuniâ numeratâ, sed etiam aliâ quavis re intelligitur, *juxtâ L. 178. & l. 222. D. d. V. S.* Quod ad inventionem thesauri attinet, is in fundo proprio inventus, in totum inventori, vel Domino acquiritur, §. 39. *J. d. R. D. L. un. C. de thesaur.* Apollonius thesaurum quasi DEI beneficium ei adjudicabat, qui optimus ipsi videbatur. *Gror. lib. 2. c. 8. n. 7. de J. B. ac P. p. m. 178.* Apud Hebræos receptum, ut Domino agri thesaurus cederet, videtur colligi posse ex Christi parabolâ, quæ extat *Matthæi. 13.* Romanorum Imperatorum leges valde hac in parte

variarunt, quod partim constitutiones ostendunt, partim historiae
 Lampridii: Zonaræ, Cedreni. Germaniæ populi thesauros, ut & alia
ἀδελφότητος addixerunt Principi. In fundo vero alieno inventus, pro di-
 midia tantum parte inventoris est, & pro alterâ dimidiâ parte Domini
 fundi *d. §. 40.* Bonæ fidei quoque possessor thesaurum inveniens, eum di-
 videre cum Domino debet, idem facere tenetur maritus inventor in re
 dotali. Similiter Usufructuarius cum Domino proprietatis. Thesaurus
 enim res à fundo omnino separata est, & neque pro fructu naturali, vel in-
 dustriali *L. 7. §. si fundum. 12. D. solut. matrim.* neque pro parte aliquâ fundi
 haberi potest. *L. 3. §. Neratius 3. D. de acquir. possess.* Thesaurus autem
 in re emptâ inventus, totus ad emptorem pertinebit *L. 67. D. de R. V.*
 In genere de thesauro ita concludimus. Thesaurus qui caret certo
 Domino, aut quæritur simpliciter, non adhibitis artibus magicis, aut
 adhibentur artes magicæ, & vendicatur fisco, & inventor præterea pu-
 niendus, arg. *L. 13. D. ad L. Corn. de Sic. L. 5. & 7. C. de mal. & mathem.*
 Quando sine artibus magicis invenitur, tunc aut inventus est in lo-
 co proprio, aut in alieno. Si in loco proprio inventus sit, sive inven-
 tus sit datâ opera; sive fortuito, cedit inventori: Si in loco alieno
 inventus, tunc aut fortuito, aut datâ operâ repertus: si fortuito, di-
 viditur inter inventorem & Dominum fundi: si invenitur in loco
 publico, dimidia pars cedit fisco, si in loco sacro, aut religioso, di-
 midia pars Ecclesiæ cedit juxta *L. 3. §. pen. D. de Jur. fise.* Nec obstat
§. nostra 40. J. d. R. D. ubi dicit Imp. ex sententiâ D. Adriani thesau-
 rum in loco sacro inventum totum cedere inventori: sciendum *n.*
Imp. in d. §. sententiam Adriani saltem recitare, non approbare. Hinc
Frid. constituit in *c. un. quæ sint Reg.* ut dimidia pars thesauri in loco
 sacro inventi cedat Ecclesiæ. *Vid. VVurmser. in nucl. Juris cont. 17. Reusn.*
lib. Sing. disp. 7. t. 21. & seqq.

24. Secundus modus acquirendi est Accessio, quam
 in Oeconomia distinximus in Naturalem, cujus species, Fætura, &
 Alluvio, Insula, Alvei mutatio: & Industrialem, cui adnu-
 meramus Accessionem, Ædificationem, Scripturam, quibus
 addimus mixtam, quo referimus Implantationem & Sationem.
 Accessio autem nihil aliud est, quam rei alicujus augmentatio: in-
 qua

q̄ va valet hæc regula: Accessio cedit principali, tanquam toti, cujus pars est. Quo refer & intexturam §. 27. J. d. R. D. Itemq; illa: Cujus generis est totum, ejusdem quoq; pars esse censetur. L. 23. §. 3. & 5. L. 76. in pr. D. d. R. V. L. 113. no. l. 148. 178. D. d. R. J. L. 19. §. 3 cum leg. seq. l. 29. D. de aur. & arg. leg. c. accessorium 42. de R. J. in 6. Prioris generis, siquidem accessio discreta est, Fætura animalium & circumludio: sin concreta: alluvio & alvei mutatio est: posterioris vero est rerum mixtura, jus soli, & jus possessionis Reusner. Disp. 8. lib. sing. th. 2. 3.

25. Fætura est procreatio ex animalibus nostris. Ex his enim quicquid gignitur J. G. nostrum est, siue illa sint rationalia, ut ancillæ. §. 4. J. d. Jur. person. siue bruta & irrationalia. L. 6. D. h. t. nec quicquam nocet, licet apud alium l. fin. D. eod. aut ex alterius animali conceperint. L. 5. §. idem scribit 2. D. de R. V. Quâ in re, quod à Romanis & aliis quibusdam gentibus est statutum, ut partus ventrem sequatur non est naturale, nisi quatenus plerumq; pater ignoratur. At si probabili ratione de eo constaret, cur non partus ex parte ad eum pertineat, nihil potest afferri. Nam & patris partem esse quod nascitur certum est. Plusne vero de patre an matre habeat, inter Physicos disputatur. Vide Grot. d. lib. 2. c. 5. n. 19. & c. 7. n. 18. adde §. 19. J. d. R. D. & ob. Grot. in Flor. spars. p. 42. 43.

26. Alluvio nihil aliud est, quam incrementum fluminis latens, quo ita paulatim aliquid solo nostro adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento seu atomo adjiciatur. §. 20. I. d. R. D. L. 7. §. 1. & seq: D. h. t. L. 2 C. de Alluv. & per hanc augetur alicui jus, quodcunque etiam sit, quod in re habet. L. 9. §. 4. D. de Usufr. L. 3. §. 2. D. de Aq. Quotid. l. 24. §. 1. D. de leg. 1. Vid. Grot. lib. 2. c. 8. §. 8. 9. 10. Quod si non alluvio, sed vis fluminis, & tale incrementum quod non latet, sed protinus in oculos incurrit de tuo prædio adjiciat vicino, id tuum manet, & arbores simul translata. §. 21. J. d. R. D. d. l. 9. §. 4. D. de Usufr. si tamen illa portio tuâ negligentia, vicino prædio tamdiu adhæreat, ut terræ coalescat, & arbores radices agant, vicino acquiritur dd: ante textibus: adde L. 26. §. 2. D. h. t. l. 9. §. 1. & seqq. D. de Damn: insect. Nov. Leo. 95. Quando autem coaluisse dicatur rusticorum judicio relinquendum esse statuunt Myns. & Schneid: ad d. §. 21.

27. Circumludio est insula, quæ undique alluitur flumine §. 20. I. d. R. D.

d. R. D. & l. 7. §. 3. h. t. Festus Pompejus vocat insulam, quod in salo
i. e. mari sit. Est autem terra in flumine, marive aquis circumflua, ob
spiritum solo erumpere non potente, enata. *Plin. lib 2. c. 85.* Hæc si
fuerit naturalis, & jam olim visa, ejus remanet, qui juris dicundi
autoritatem ibi locorum usucepit. *L. insule 9. D. de Judic. & l. illicitas*
6. §. 8. D. de Offic. Præsid: Insula vero jam nata, atque adeo nova in
mari apparens, ejus esto, qui primum occupavit. In flumine publi-
co, illi cedit, qui ex vicino, atque e regione fundum possidet. *L. 7. §.*
3. adde l. 56. & 65. §. 1. D. h. t. ubi & ipsi Romani I Cti concedunt insulam,
quæ in flumine natat, putà virgultis sustentata, esse publicam, quia
cujus juris sit flumen, ejus & esse debeat Insula in flumine nata. Si a.
quæritur, ad quem pertineat ager, quem flumen occupavit, deinde
reliquit. R. Eum priori Domino restitui *L. 23. D. Quib: modis usus fr.*
amit. L. 30. §. pen. D. h. t. quibus oppon: solet L. 38. d. eod. quarum concili-
ationem *vid. apud Pac. in évayno Φ: cent: 6. q. 88.* Quod enim no-
strum est, nostrum esse non desinit, nisi facto nostro, aut lege. Sub
factis & non facta comprehenduntur. Flumina censitorum vice fun-
guntur, ut ex privato in publicum addicant, & ex publico in priva-
tum. *L. 30 § 3. D. h. t. unde Casiodorus lib Var. 3. inquit: Agrimenfor*
more vastissimi fluminis, aliis spatium tollit, aliis terram concedit.

28. Quod ad circumluvionem attinet, loci ipsius, in quo insula
nata est, maximè attendenda est qualitas & conditio, §. 22. l. d. R. D. d. l.
7. §. 3. & L. 29. & 30. D. h. t. Quod si mediam fluminis partem insula
obtinet: communis sit eorum, qui utrinque prædia possident: non
quidem pro indivisio, sed regionibus quoque divisio, pro cujusque
agri fronte, i. e. latitudine ac modo Quantum enim ante cujusque
eorum ripam est, tantum veluti lineà in dir. tum per insulam
transductà, quisque eorum in eà habebit certis regionibus *d. L. 29. Ulp.*
l. 1. §. 6. D. de flumini. Bart. in tract de Insulâ

29. Qua ratione etiam alveus, si à flumine relictus fuerit, ejus
quodammodo esse videtur, qui ripæ Dominus est: aut inter eos divi-
ditur, qui utrinque fundos habent conjunctos. Cæteroquin alveus
publici juris est, ut & flumen ipsum *d. l. 30. §. 3. D. de acquir: possess.*
§. 2. & 23. l. h. t. Alia sanè inundationis causa est, quæ possessionem
quidem, sed non etiam jus, dominiumque aufert. §. 24. l. de R. d. l. 7. §.
6. l. 30. §. 2. h. t. l. 1. §. 9. d. de flumin. Quoniam tunc ut accessio, ita
decessio

decessio ejus repentina est, quæ fundi speciem s. substantiam non ita facile commutat, licet de qualitate aliquid mutet. Nisi tamen inundatio perpetua sit, aut saltem præscripta: quippe tunc & proprietas, & ususfructus amittitur. *L. 5. §. 2. l. 10. §. 2. & 4. l. 23. D. quib. mod. ususfr. amitt. Grot. l. & c. §. 10. & seqq.*

30. A naturali accessione ad artificialem progredimur. Ædificium insuper, tanquam adjunctum, suo subjecto, solo cedit, & is est Dominus ædificii, cujus est solum, super quod extractum est. *§. 20. I. D. R. L. 7. §. 10. & seqq. D. h. t. l. 50. D. ad L. Aquil.* Neque id in integro tantum ædificio obtinet, sed & in omni juncto solo, vel ædibus alienis verum est, quod maneat domini illius soli, vel ædium, quamdiu est connexum, idque ex *L. 12. tab. præscripto*: cujus duo in legibus nostris capita referuntur *I. Est in d. l. 7. §. 10.* quod prohibet ne quis tignum junctum ædibus, vineæve solvere cogatur. Ratio elegans est in *L. Prætor ait. 20. §. 10. D. de Oper. nov. nunc. ne urbis aspectus deformeretur.* Et hoc membrum ad omne omnino tignum ædibus alienis junctum, sive furtivum, sive non furtivum sit, pertinet. *Dd. ad §. 30. I. d. R. D. L. 62. D. de V. S.* An autem liberum sit Domino, tignum eximere, seque restituendo, ab actione, quam Dominus habet, liberare, vehementer dubitatur? Aff: subscribimus *per L. 59. D. d. R. V. adde arg. l. 1. C. Quand. & quom. jud. 2.* Est in *L. 1. 3. de Tign. junct. d. l. 7. §. 10. D. h. t.* quod jubet duplum ab ædium Domino pro tigno juncto præstari. Quod membrum ad omne tignum pertinet *Goed: in L. 62. n. 8 D. de V. S. v. L. 98. in fin. D. de solut.*

31. De scripturâ jam olim tradita fuit regula: Quod literæ, licet aureæ sint, chartis, membranisque cedant. *§. 34. l. h. t. L. 9. §. 1. D. h. t. l. 3. §. interdum. 14. D. ad Exhib.* An autem hoc nostro seculo procedat? Nonnulli dubitant, quanquam vix cum ratione, quia nullibi mutatum legitur. *L. 27. C. de testam. ordin. L. præcipimus 32. in fin. C. de appellat.*

32. In picturâ tamen est accessionis exceptio, quæ chartam seu membranam vincit. *§. 35. l. de R. D.* Rationem hujus exceptionis quidam putant esse, quod olim Pictorum ars tam celebris fuit habita. Unde *Justinianus* pictorum apud veteres nobilissimorum Apellis atque Parrhasii excellentem operæ autoritatem indicat. Parrhasius enim Ephesi natus circa tempora Peloponnesiaca, primus symmetriam

etiam picturarum, primus argutiâs vultus, elegantiam capillorum, venustatemque oris dedit: & quæ summa in arte subtilitas est, quæque corporum extrema suis lineis finire atque includere præcæteris, aperuit. Apelles v. Cous fuit, ob artis excellentiam Alexandro Macedonum Regi gratissimus, adeo ut publico edicto veruerit, ne quis ipsum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, & quàm Lysippus ex ære duceret. *Plin. lib. 7. c. 37. Apulei. I. Florido:* ubi Apulerius pro Lysippo Polycletum posuit, manifesto errore, cum palàm sit Polycletum centum prope annos ante Alexandrum inter homines fuisse vid. *Plin. lib. 34. c. 8. Ferrar: in l. ad h. §. p. 165. 166.* Putarem quoque aliam dari possessionem, nempe hanc, quod non simplex sit tabulæ accessio, sed specificatio formam tabulæ addens, ut non amplius tabula, sed pictura & imago sit & vocetur. *arg. §. 25. I. d. R. D.* Et si quidem naturali ratione consideratâ, tam pictura tabulæ, quam scriptura chartæ cedat; tamen de picturâ aliter responsum est à *Cajo L. 9. §. 2. D. h. t. & d. §. 35. I. d. R. D.* non attempta *L. 23. §. 3. D. de R. V. Accursius* enim distingvit, an tabula pretiosior sit picturâ, forte de cedro, pictura vero de carbone. Ad quod *Accursius* illa verba in *d. l. 23.* perpendit propter pretium, & verba *Iustiniani*, in *d. §. 35.* Ridiculum enim est picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere vide *Wurmserum in Nucl. Juris controv. ad t. d. R. D. controv. 14.*

33. Accessioni mixtæ adnumeramus implantationem, seu infitionem plantæ, aut arboris. Nam quicumq; & quamcunq; plantam aut arborum in quodcunq; solum posuerit, ea soli Domino acquiritur, modo radices egit *§. 32. I. d. R. D. L. 7. in fin. D. h. t.* Sed quid si arbor in confinio posita, cujusnam erit? ane communis? Nos putamus tum demum communem esse, si in utrumque fundum radices egit æquales. Nam si in agro meo primò radices egit, postea in vicini fundum porrexit, mea erit, quia soli Dominium meum est, principale enim alimentum ab ipsa origine elici creditur, non autem à fundo vicini, in quem extremas tantum radicum partes coniecit. *L. 6. in fin. D. Arb. furt. casar. L. 26. §. arbor, 2. D. h. t.* Ex prædictis quoque liquet, cujusnam sint fructus arboris in confinio positæ. Aut enim arbor est communis, & communes etiam erunt fructus, aut mea est, & rami tantum ejus in fundum vicini dependent, & tunc de Jure Civili fructus in vicini fundum cadentes, mei manent. *L. un. D. de gland. Leg. jure autem*

rem Saxonico (quod mos in omnibus fere locis sequitur) ejus fiunt, cujus in fundum ceciderunt. *Schneidevv. ad d. §. 32. vide Ferrar. p. 164.*

34. Quemadmodum plantatio plantam: ita satio frumentum Domino soli adiicit, §. 33. I. d. R. D. hoc tamen observato, quod bonâ fide seminanti impensæ sint restituendæ. *arg. l. 5. C. de R. V. L. 38. D. de hered. pet. L. 8. D. de pign. act.* Norum autem est impensarum delictum, quod videtur apud Ferrar. p. 163.

35. Tertius acquirendi modus est Specificatio, quæ est quando nova species ex alienâ materiâ non Domino conficitur: §. 25. L. d. t. L. 7. D. h. t. Cujusnam autem illa nova species sit, inter Jctos antiquos maxima fuit controversia. Sabiniani putarunt esse materiæ Domino adjudicandam, forte ob L. 49. D. de R. V. L. 12. §. si quis. 3. D. ad Exhib. L. id quod nostrum, II. D. de R. I. Contra Proculiani formanti addixerunt, propter formæ præstantiam, quæ dat esse rei, & dicitur *Aristoteli λόγος τῆς ἰσίας* Verum Justinianus dissidium sustulit distinctione. Aut enim species nova fit ex alienâ materia tantum: aut alienâ & propriâ. Si ex alienâ tantum, iterum vel reduci potest in pristinam materiam, & tum ejus manet, cujus materia fuit, vel non potest reduci, & tunc manet, specificantis: Si partim ex alienâ, partim ex propriâ materiâ species fit facta, sine dubio formantis fit, quia non solum operam præstitit, sed & ejusdem materiæ partem contulit. §. 26. J. de R. D. Quod itidem intendit *Connanus*, quando ita distingvit, ut si corpus specificatum plus habeat materiæ, quàm artis, tum materiæ Domino cedat, sin è contrario, ei acquiratur, qui fecit. Sed hoc vel illo casu cujuscunq; Dominio cedat species confecta ex alienâ materiâ, animadvertendum est hætenus indemnitati utriusq; consuli, ut si maneat penes Dominum materiæ, is solvere debeat mercedem impensæ operæ & artificii in illam, vel si adjudicetur proprietas ei, qui rudem materiam aliquâ elegantiori specie induit, is similiter materiæ pretium ejus Domino inferat, cui sententiæ naturalis & civilis ratio congruit. *Chassaneus in paratit. J. ad t. i. lib. 2. Hugo Grot. lib. 2. c. 8. §. 19.* Ut autem, qui malâ fide materiam alienam attrahant, speciem perdant, est quidem non iniquè constitutum, sed pænale, atq; ideo non naturale. Natura enim pœnas non determinat, nec ob delictum per

se Dominia aufert, quæquam naturaliter pænâ aliquâ digni sunt, qui delinqunt.

36. Quartus & Quintus modus acqvirendi de Jure Naturali seu Gentium sunt confusio, & commixtio. Confusio est, cum res unius Domini ad rem alterius Domini ita accedit, ut corpus etiam minimum penetret, & inducat aliud minimum. §. 28. J. d. R. D. L. 7. §. 8. D. h. t. Hunc modum præcedentis quæsi speciem multi faciunt, sed minus recte: ille enim absq; consilio non fit d. §. 25. J. d. R. D. hic autem quovis modo d. §. 28. De Confusione hæc est regula: Rebus diversorum Dominorum, sive ejusdem, sive diversi generis, vel consensu ipsorum vel casu, vel alterius tantum voluntate, malâ & bonâ fide confusis, totum id corpus, quod ex illâ confusione fit, ipsorum Dominorum proportionem cujusq; partis ratâ, commune est. *dd. text. & L. 3. D. de R. V. si modo ad priorem materiam reduci nequeat. L. 12. §. 1. D. h. t.*

37. Commixtio est rerum earum, quæ inter se mixtæ, manent quidem eadem, sed tamen conjunctæ, novum quoddam corpus constitutere videntur. §. 29. J. d. R. D. l. 3. §. fin. D. de R. V. Unde facile patet, quod multum à confusione differat, nam res confusæ alterantur, commixtæ minime, sed miscentur ita, ut singulæ suâ substantiâ maneat salvæ, quamvis separari sine difficultate non possint. Confusæ fortuito, Dominorum fiunt communes, commixtæ autem utriusq; non nisi Domini consensu. Interim sciendum quod Jcti his vocibus promiscuè utantur ut *in L. 3. D. de R. V.* Græci dicunt, *μίξιν καὶ σύγχυσιν*, Aristoteles dicit: Miscentur quorum extrema inter se sunt contraria, & *in fin. lib. 1. de Gen. & inter.* mixtionem ait esse τῶν μιχτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσιν, ubi mixta mutata unum fiunt. Fieri autem mixtionem ex iis, quæ in agendo repugnantiam quandam habent, ac proinde à se mutuo pati possunt, si ea scilicet & facile terminabilia, & facile dividua sint: tunc autem, cum partes minimæ, quæ quidem in sensum cadunt nihil retinent incompositum. Hujus generis species quædam est, quæ *κεῖσις* dicitur, i. e. temperatura. *Aristot. 4. Top. c. 1.* Non omnis mixtio temperatura est: nam siccorum non est temperatura. At Jurisconsulti latius usurpant mixtionis vocabulum, etiam ubi partes minimæ, quæ videri possunt, natu-

rata

ram propriam retinent, sive id fiat *ἐκ συνεσώτων*, sive ex *διεσώτων*, ex coherentibus aut non coherentibus. Vid. L. 30. D. de Usurpat. & Usucap. vid. Grot. lib. 2. c. 9 §. 3. 4. p. 189. Alio quam diximus sensu hæc tria, *σύνχυσιν, μίξιν, κερᾶσιν* explicat Philo de lingvarum confusione, cujus integrum locum Vid. apud Grot. in Flor. spars. ad Jus Just. p. m. 39. In hoc autem loco *μίξιν* est confusio distantium, contra *σύνχυσιν* est mixtio talis, quæ resolvi potest, *κερᾶσιν* talis mixtio quæ resolvi nequit. *Κερᾶσιν* etiam quandoq; significat *μίξιν ὑγρῶν* mixtionem liquidorum In d. L. 30. Legitur *συνημμένον*, quo spectat acervus lapidum, aut frugum: concretionis nomine *κερᾶσιν* intelligitur à Platone: permutationis nomine id quod Aristoteli *μίξιν*. In d. L. ubi trium corporum fit mentio, primum dicitur corpus *Φυσικόν*, secundum *τεχνικόν*. In d. L. 30. de Usucap. hæc tria ita ponuntur. 1. Quod continetur uno Spiritu Græcis dicitur *ἡνωμένον* i. e. unicum, ut homo, lapis, lignum. Si igitur res hujus generis alicui rei venustatis gratiâ de alieno adjecta fuerit, jure accessionis nobis cedit, secundum c. 42. de R. J. in 6to. 2. Quod ex contingentibus, seu pluribus inter se coherentibus constat, Græcis *συνημμένον*, connexum vocatur, ut ædificium, navis, armarium: Res hujus generis itidem nobis cedunt, ut pictura in murum alterius composita. 3. Quod ex distantibus constat, ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subjecta, ut populus, legio, Grex. Hujus tertii generis, ut sunt oves gregi adjectæ, non cedunt possessoribus ratione accessionis. Nam harum facilis est separatio. Vide anteriores theses 30. & seqq.

38. Sextus acqvirendi modus de Jure Naturali seu Gentium est fructuum perceptio, quam Loricottus peculiari tractatu inter apices Juris referre non dubitavit Grammatici variè fructus vocabulum torquent, quidam à fruendo, quidam à fruimine, (eminentioris gutturis parte) ut Isidorus lib. 17. Etym. c. 3. & 6. quidam à ferendo ut Varro lib. 4. de LL. c. 21. Verum nonne hoc modo, propter convenientiam solius literæ initialis, quidvis à quovis deducatur, contra Cic. 1. de Nat. Deor. ut Neptunus à nando, sabulum à sero. Est igitur Fructus primo & immediatè à fruor, ut fluctus à fluo, structus à struo. Vide L. Andream Corvinum p. m. præceptorem nostrum nunquam sine laude nominandum in materiâ fructuum c. 3. th. 19. & seqq.

39. Fructus autem verbum usurpatur tripliciter : 1. Κοινῶς communiter, pro omni alicujus rei commodo & utilitate, sive ex ipsius corpore, aut occasione ejus percipiatur, sive id fiat ex rebus mobilibus, aut immobilibus, corporalibus, aut incorporalibus (ut ex servitutis prohibitione interesse. *L. 6. §. 6. D. si serv. vind.* vel commodum ut ibi & *L. 19. D. de Usur.*) vocatur Germ. ein Genieß/ Nutzen/ Frucht. Qvo etiam *L. 42. D. de Usur.* verba tendunt : In fructu esse, quicquid ad usum hominis inductum sit. 2. Ἰδιῶς propriè, in materia Usufructus, ubi denotat omnes res, quas fert fundus, sive quicquid ex re nascitur, ad quod illa est parata: Was man von einem liegenden Grund oder gute Nutzen und genießen kan. Hoc modo latius patet, quam vocabulum Frugis. *Ulp. L. 77. D. d. V. S.* dicit, frugem pro reditu appellari, nec solum, quod ex frumentis aut leguminibus, verum & quod ex vino, sylvis cædvis, cretifodinis, lapicidinis capitur, significare. Carnem vero aut aves, ferasve aut poma fruges non dici, cum tamen hæc omnia sint in fructu Usufructuarii. 3. Ἰδιαιτέρως vel specialissimè Fructuum nomine veniunt, fructus tantum arborei, quibus utimur fruimur, Baumfrüchte. *L. 236. D. d. V. S.* à quâ significatione ascendentes inveniemus primam esse κατ' ὁμολογητῆν εἰρημῆνυ vel metaphoricam. *Porphyr. Isag. c. 2.*

40. Ex diversâ hac significatione variè quoq; dividuntur. Ratione quidem primæ significationis, in Naturales in genere, & in Civiles : Ratione vero secundæ & tertix in Industriales & Naturales sic dictos in ipse, Fructus naturales in genere appello eos reditus, qui ex ipsius rei corpore naturaliter proveniunt, veluti fructus fundi sunt arborei, terrestres, fetus pecorum, lac, pilus &c. *Donell. 20. Comment. c. 5. Coras. 5. miscell. §. n. 7.* Civiles qui non ex corpore, sed occasione rei, non natura aut industria, sed jure vel conventionis aut obligationis (sive ex contractu sive delicto) percipiuntur. Cui sunt mercedes pro usu rei v. g. vecturis, operis servorum *L. 39. §. 1. D. de Leg. 1.* pensiones, quæ dicuntur loco fructuum esse. *L. 29. D. de petit. hered. L. 7. §. 11. D. solut. matrim.* pro fructibus accipi. *L. 36. D. de Usur.* Imò fructus esse *L. 62. D. de R. V. Usuræ*, quæ vice fructuum. *L. 34. D. de Usur.* Facultas oppignorandi *L. 72. D. de R. J.* Item mulctæ, confiscationes bonorum, præ-

præsentatio in Jure Patronatus, & similes Jurisdictionis redditus. *Molina in consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. D. Finckelthaus p. m. præceptor meus famigerabilis in Tr. de Jure Patronatus. c. 6. n. 17. & 23.*

41. Fructus autem Industriales & Naturales (ob penuriam vocabulorum) sic dicti in specie, saltem potiori sui causâ à se invicem discernuntur. Sunt igitur Industriales, in quibus producendis opera hominis; Naturales in specie, in quibus natura emicat: Vel illi sunt, quos quis suis operis, sua diligentia acquirat *L. 48. D. h. t.* Hi, qui non ex facto alicujus nascuntur *L. 45. D. de Usur.* ubique à potiori nempe, ita ut ibi nec natura, nec hic industria hominis excludatur, sed saltem alterutra non arguatur ita manifesta. Quare licet semina opus habeant satione, arbores plantatione, prata rigatione: quia tamen his factis reliquum solers rerum natura in unoquoque per seipsam perficit, atque industria hominis non ex æquo cum natura concurrat, sed hæc illâ plus operatur: ideo flores, poma, fænum, mala Persica, cerasa, &c. dicuntur fructus Naturales, non Industriales *L. 12. D. de Usu & habit. d. L. 45. D. de Usur.* Scilicet *κατὰ τὴν ἐπινοήσαν*, secundum id quod prædominatur, per prævalentiam, ut eleganter verit *Paulus in L. 23. §. 4. D. de R. V.* Industriales contra sunt lata *L. 25. §. 1. D. de Usur.* Fætus *L. 7. §. 9. D. solur: matrim:* lac, lana *§. 37. l. D. R. D. L. 4. §. 19. D. de Usucap:* linum, vinum, venatio. *L. 62. D. de Usufr.* piscatio, Aucupium *L. 9. §. 5. D. eod.* Etenim frumentum & aliâ præter sationem (hæc enim non facit ut fructus sit industrialis *Arumæ. Diss. Pand. 8. §. 11.*) multiplicem hominis curam desiderant v. g. stercorationes, arationes, versuras, occationes, satrituras &c. De Lino, videatur ejus Martyrium per Ethopæjam nimis festivè à quodam conscriptum. Ecquis verò est, qui ablaqueationes, resolutiones, putationes, palationes, pastinationes, repastinationes vitium ignoret? *Menocho. de arbit: jud: cent. 3. c. 10. n. 21. & seqq.*

42. Uterque rursus vel sunt in rerum Naturâ, vel non sunt: Qui sunt: sunt aut Pendentes, Stantes, Percepti, separati, Maturi, Exstantes: Qui non sunt, illi aut aliquando extiterunt, & jam sunt consumpti. aut potuissent existere, nisi per possessorem stetit, aut nunquam quidem fuerunt, sunt tamen adhuc futuri: Pendentes fructus arbores; stantes terrenos potissimum respiciunt. *vid. L. 44. D. de R. V. & L. 26. §. 1. D. de furt. L. 7. §. 15. D. solur: matrim.*

trini: Percepti, qui vel ab ipso, cui acquiruntur, separati, vel ab alio quidem separati, ab ipso tamen usurpati, aut in villam ejus convecti sunt. *v. L. 78. D. de R. V.* Extantes sunt, qui integri adhuc in horreis aut oporothecis asservantur. Fructus separati sunt, qui terrâ quidem sese continere desierunt, nec tamen dum à Domino naturaliter possidentur, ut si fœnum ab alio, quàm Domino succisum, furcillis versatum, in metas extractum adhuc sub diò iaceat: seges falce resecta, & in acervum congesta, uva adempta sit *L. 13. D. Quib: mod. Usufr: amitt.*

43. Consumpti sunt, qui sequentium modorum uno in rerum naturâ esse desierunt, dum aut in rem, vel utilitatem alicujus versi i. e. ex iis quis locupletior est factus, aut non sunt versi, qui in ejus aut computationes erogati, incendio perierunt, furti ablati sunt: Qui potuissent existere, sed non extiterunt, dicuntur percipiendi: & sunt quos diligentissimus paterf: percipere potuisset ex re, à possessore autem ex latâ vel levi culpâ percepti non sunt *L. 32. §. 2. D. de Admin: & peric. tuto* Ut si quis ædes inhabitasset, nec iis eò modo usus esset, quo consueverint usurpari; vel quod non locasset horrea, in nundinis hospites advenientes tectò & mensa non recepisset, non coxisset cerevisiam, non coluisset vineas. *Copus. de fructibus lib. 1. t. 3. & 10. & seqq.* Futuri fructus sunt, qui nondum quidem in rerum naturâ sunt, fore tamen sperantur *§. 7. I. de Legat: l. 24. in pr. D. de Leg. 1.*

44. Cæterùm cum fructuum à ICtis varia sint constituta genera, hinc incredibilis est inter Interpretes dissensus & conflictus, quosnam bonæ fidei possessor, lucretur? Nobis sententia illa veritati & æquitati naturali magis consona videtur, quam *Pinelius. ad L. 2. p. 2. c. 4. n. 60. C. de rescind: vend.* in praxi observari testatur: quod omnes fructus non solum industriales. *L. 45. D. de Usur:* Sed & naturales. *L. 48. in pr: d. h. t. L. 78. D. de R. V. L. 25. §. 1. D. de Usur. L. 4. §. 2. D. Fin: reg.* percipiat, percipiendoque ita suos faciat, ut possit eos consumere, consumptos autem irrevocabiliter, sive ex iis locupletior sit factus, sive non, lucretur: *arg. L. 22. C. de R. V. §. 2. 1. de Offic. jud:* Extantes autem simpliciter, post litem verò contestatam etiam consumptos, restituere cogatur. *Lindem: in D. Disp. th. 64. VVurmser. in Nuc. Jur. contro. 15. & 16: Andreas Corvinus in materiâ fructuum th. 65. & seqq. & th. 75. ubi eleganter ponit paraphrasin L. 25. D. de Usur. quæ totam materiam Fructuum comprehendit*

hendit. *Item §. 15. & seqq. In th. 61 de acquisitione Fructuum genera-*
lem ponit hanc regulam: Quicquid ex meo L. 2. & 6. D. h. t.
vel quasi meo, nascitur, meum est. Dicit ex meo vel quasi
meo, quibus innuit, quemlibet Dominum Jure optimo ex re sua
fructus percipere, ubicunque ea sit, nisi quid impediatur, siquidem hic
possessio interdum Dominio prævalet, facitque, ut non omnes
fructus Domino acquirantur. Idque propter jus alteri in re ipsius
Domini, per & propter justam suam possessionem quaesitum, Sive id
invito & ignorante, sive sciente & volente Domino contigerit. Bona
enim fides tantundem præstat, quantum veritas h. e. Dominium ipsum
L. 136. D. de R. I. vide Reyger in thesaur: Juris in voce Bonæ fidei possessor p.
735. & seqq. & §. 36. cum tribus seqq. I. de R. D.

45. *Septimus de Jure Naturali seu Gentium Acqui-*
rendi modus est Traditio: quâ Dominus rem suam ex
justa causa alii accipienti, & Dominium ejus acquirere,
volenti hoc animo permittit, ut in ipsam rei illius Do-
minium transferat. §. 41. usque ad 46. I. de R. D. L. 9. §. 3. & seqq. L.
20. & 31. D. h. t. Quid enim tam congruum est naturali æquitati,
quam voluntatem Domini rei suæ arbitrium habentis, & rerum sua-
rum aliquam in alium transferre cupientis ratam haberi. *L. 21. C. mand.*
Quippe hæc sunt fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque
juris & dimittendi, & retinendi esse Dominum *Cic. in Or: pro L. Corn.*
Balb: Quo fit, ut omnis contractus, commutationisque radix & fun-
damentum, sit ipsa voluntas. Nam contractus, si ad ejus initia re-
spicias, nihil est aliud, nisi voluntaria communicatio rerum seu offi-
ciorum. Aristot. V. Eth. L. procuratorem 16. C. de Procur: L. obligatio-
num substantia. 3. & L. in omnibus 6 D. de O. & A.

46 Cum autem quaeritur: (Cur Traditio inter modos Acquirendi
Dominii ponatur, cum nunquam nuda traditio transferat Dominium;
sed ita si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam
traditio sequeretur *L. 31. D. de Acq. rer: Domin. Resp.* In omnibus re-
rum transferendarum contractibus ad Dominium consequendum
necesse est ut interveniat traditio. Nam contractibus res tantum
fiunt debitæ, sed traditione fiunt nostræ. Quare recte quidam dicunt,
contractus traditione validari, Quod enim contractibus agitur, id
tradi-

traditione perficitur. Igitur si Dominus bonorum suorum habens administrationem, rem suam aliquam corporalem (nam incorporales non tradantur *L. 43. §. 1. D. h. t.* sed in his traditionis vice, patientia est. *L. 11. §. 1. D. de Public. in rem act. L. quoties 2. D. de Servit. :*) mobilem aut immobilem, ex causâ idoneâ tradiderit alicui, vel eum in rei possessionem induxerit, is certe cui res sic tradita, statim per hujusmodi traditionem, ejus rei Dominium acquisivisse intelligitur. *Cantiumc. in paraph. 1. ad h. t. VVurmser. in Nucl. Juris Controv. 18. p. 294. adde Grot. lib. 2. c. 8. n. 75. ubi ad Domini translationem naturaliter traditionem non requiri autoritate legum civilium demonstrat.*

47. Duo requiruntur in Traditione. 1. Ut tradens verus sit rei Dominus *d. L. 20. in pr. D. h. t. L. 120. D. d. R. I.* qui rem suam alienare possit. 1. *Quib. alien. lic. vel saltem loco Domini, qualis est tutor. L. 27. D. de admin. tuto. & curator. L. 8. in pr. D. de reb. eor. vel alius, qui nomine & voluntate Domini rem tradit. §. 43. l. h. t. l. 9. §. 4. D. h. t.*

2. Ut sciat Dominus rem esse suam, & is velit illam ipsam rem, seu corpus illud tradere, & alter tradi *arg. l. 55. D. d. V. O.* Ideo si rem meam, existimans tuam esse, tibi tradiderim, Dominium in te non transfero. *L. 35. D. h. t. L. 3. §. 8. D. de condict. caus. dat.* An igitur sufficit consensus esse in corpore, quamvis in causâ traditionis erratum? *A. per L. 36. D. h. t.*

48. Traditio est duplex vera, seu longæ manus. *L. 79. D. de solut.* qua res corporales de manu in manum traduntur. *D. L. 9. §. 4. D. h. t. & Ficta seu brevis manus. L. 43. D. de Jure Dor. quâ res non verè traditur, sed pro traditâ habetur. §. 49. l. h. t. L. 9. §. 6. h. t. l. 74. D. de Cont. empt.* Num autem necesse sit rem esse præsentem in brevi manu? N. quia præsentia nullibi in hac traditione fit mentio. *Vide. dd. text. & L. si rem 62. in pr. D. de Evid. L. 11. §. 1. de publ. in rem acti L. 21. in fin. D. h. t. vide Reyger. in thesauro in voce Traditio. & Hortom. illust. quest. 12.*

49. Visis modis acquirendi Naturalibus s. Gentium, restat ut Civiles consideremus, & inscriptioni satisfaciamus. Quoniam autem eorum consideratio peculiare Disputationes desiderat, hinc in genere eos retulisse, sufficet.

50. Jure itaque Civili. i. e. jure proprio civitatis nostræ, scilicet Romanæ, rerum Dominia acquirimus, aut per Universitatem; aut

Titulis

Titulis singularibus. Per Universitatem ut Hereditate, Bonorum possessione, Arrogatione, Bonorum additione, libertatum conservandarum gratia sublatis duobus modis antiquis, bonorum venditione, & SC. Claudiano. tit. 13. lib. 3. l. Titulis singularibus, ut Ufucapione, Donatione & Legatis. Vide *Vvesenb. in parat. ad h. t. n. 10. Chaffanæum in paratit. l. lib. 2. t. 9. Ulpian. in fragm. t. 19.*

51. Personæ per quas acquiramus, ex Oeconomîa tituli nostri, & legibus allegatis, manifestæ fiunt, ut & inspectis singularibus super his titulis *l. lib. 2. t. 8. & lib. 3. l. t. 29* adde fidelissimè *Nicolaum Vigeliu* has persequentem *in Methodo I. C. p. 3. lib. 7. c. 2 per tot.*

52. Causæ ex quibus Dominia rerum amitti solent, patent, ex modis acquirendi. Eadem enim sunt amittendi Dominiî causæ, quæ acquirendi: iisdemque modis res desinunt esse nostræ, quibus acquiruntur. *L. 1. in fin. D. pro Derelict. & ut Paulus ait: Quibus modis acquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus L. 35. & L. 165. D. de R. I.* Quæ autem de causis amittendi Dominiî superius omiſſa, per indicem hic indicabo. Est igitur, Dominiî amittendi causa alienatio, quam non ignoramus, alienationem esse omnem actum, per quem Dominium transfertur *L. 1. in fin. C. de fund. dotal. 2.* Si Dominus rem proderelicto habuerit. *D. 11. pro Derelicto. 3.* Si Dominus rem perdidit. *4.* Si Dominus possessori rei suæ vim intulerit ad eam recuperandam. *Vigel. lib. 7. Meth. I. C. c. 4. Grot. c. 9. lib. 2. de I. B. ac. P.*

53. Actiones quæ pro Dominio & quasi Dominio vindicando competunt, sunt Rei Vindicatio & publiciana in rem actio, de quibus alio loco *adv. J. B. agemus.*

54. Finis Dominiiorum est, ut constituta rerum proprietate, scaturigines litium & contentionum obstruantur. Nam eorum incertitudo, & rerum communio parit discordias. *Vvesenb. in parat. h. t. n. 12.* cui adde præcedentem *n. 11.* ubi de materiâ & forma agit, quæ ex superioribus thesibus claræ sunt. Prædictis itaque modis rerum Dominiia acquiramus, & omnem rapinam, furtum, tyrannidem, invasionem alieni, item universalem rerum communionem, quam *Gratianus* inscite ad jus naturæ retulit. *c. 7. D. de jurem. & in tesqua amandemus, Quærendi medium, rerum Discrimina cernis.*

FINIS.

E

CL. 60

Quomodo quis recte sibi res acquirere possit.
AMICE, tradis & doces.

Rite doces, discisq; modos, & jure probatas,
Res occupandi, regulas.

Dumq; doces alios bene res acquirere, magnam
Acquiris ipse gloriam,

Dic porro: juste res, quas cupit, occupet orbis
Et occupabis sydera.

Henricus Rahne / J. D. & Prof.



His acquirendi mediis ex jure petitis
Qualibet in mundo querere quisq; potest.

Hinc CLUVERE tibi civilibus; atq; politis


Querendi mediis fama, decusq; venit.

Approbat hoc studium Varnus, plauduntq; CAMOENÆ.

Nostræ, qua studiiis premia magna ferent.

Ita Pereximio atq; Politiss Dn. Respondenti,
populari suo applaudere voluit

Christianus Woldenbergius, Ph. J. U. D. & Pr.



V. GL.

CHRISTIANO WOLDENBERGIO,

Phil. & Jur. D. ac Prof,

S. P. D.

Andreas Tscherningius.

Conscendis iterum disputatutus Cathedram, am-
plissimum illud famæ theatrum? Et more dicam an
vitio seculi, carmen expectas? Scilicet ut herbæ parietar-
iæ instar in omnibus Chartis tuis Poëta conspiciat? In-
cassum, Abest enim in præsentis

Impetus ille sacer, qui Vatum pectora nutrit.

Mei

hendit. *Item 6. us. & seqq. In th. 61 de acqui-*
lem ponit hanc regulam: **Quicquid ex**
vel quasi meo, nascitur, meum est.
meo, quibus innuit, quemlibet Dominum
fructus percipere, ubicunque ea sit, nisi qui
possessio interdum Dominio prævalet, fructus
Domino acquirantur. Idque proprie
Domini, per & propter justam suam possio
invito & ignorante, sive sciente & volente D
enim fides tantundem præstat, quantum verit
L. 136. D. de R. I. vide Reyger in thesaur: Juris in
735. & seqq. & §. 36. cum tribus seqq. I. de R. I.

45. **Septimus de Jure Naturali**
rendi modus est Traditio: quã Do
justa causa alii accipienti, & Domin
volenti hoc animo permittit, ut in
minium transferat. §. 41. usque ad 46. I.
20. & 31. D. h. t. Quid enim tam congrua
quã voluntatem Domini rei suæ arbitrium
rum aliquam in alium transferre cupientis rat
Quippe hæc sunt fundamenta firmissima nost
juris & dimittendi, & retinendi esse Domini
Balb: Quo fit, ut omnis contractus, commu
damentum, sit ipsa voluntas. Nam contrac
spicias, nihil est aliud, nisi voluntaria comm
ciorum. *Aristot. V. Eth. L. procuratorem 16. C*
num substantia. 3. & L. in omnibus 6 D. de O. C

46. Cum autem quæritur: (Cur Traditio i
Dominii ponatur, cum nunquam nuda tradit
sed ita si venditio, aut aliqua justa causa præ
traditio sequeretur L. 31. D. de Acq. rer: Domini
rum transferendarum contractibus ad Dom
necesse est ut interveniat traditio. Nam co
fiunt debite, sed traditione sunt nostra. Qu
contractus traditione validari. Quod enim

m genera
6. D. h. t.
vel quasi
ex re sua
quidem hic
on omnes
n re ipsius
, Sive id
rit. Bona
um ipsum
possessor p.

Acqui
suam ex
quirere
lius Do
& seqq. L.
æquitati,
erum sua
. C. mand.
quemque
ro L. Corn.
lix & fun
s initia re
n seu offi:
obligatio

quirendi
dominium;
er quam
nibus re
uendum
tantum
m dicunt,
gitur, id
tradi-

